



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De desiderio animæ ad cæleste regnum. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

De desiderio anima ad caeleste regnum.

XV Nicum & singulare desiderium sanctorum in hac vita fuit, nihil commune habere cum hoc seculo, sed per contemptum terrenorum tendere semper ad praesentiam Christi & consortium angelorum. Vnde & beatus Paulus vehemens amator Christi, omnia terrena perfecte despiciebat: & ad caelestia aestuans, dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Non est omnium tale desiderium sed perfectorum, qui dicere possunt: Nostra conversatio in caelis est. Nam valde pauci ita nudati inveniuntur, qui totum affectum suum ad aeterna erigunt, & de terrenis divitijs & honoribus nihil ambiunt. Qui autem amore Christi accensi, in paupertate & contemptu sui gaudent, atque cor in humilitate deprimunt, & de parvis negligentijs etiam strictè seipsos reprehendunt: qui necessaria vitae sobriè & cum timore capiunt, & potius minus quàm amplius requirunt: hi sunt veri contemptores mundi & amici Dei ad patriam festinantes, parati de corpore exire, & ad Christum citius peruenire; non habentes, quod possit eos in saeculo delectabiliter retinere.

2. Felix anima, cui tale desiderium inest, & per singulos dies feruorem addit feruori: non desistens orare & clamitare ad Christum, donec aperiatur sibi porta caeli, & ingrediatur regnum Dei cunctis fidelibus promissum. O beata patria, vbi perpetua laetitia, pax summa, clara Dei notitia, charitas perfecta, & beatitudo consummata. Ibi melior est dies vna, quàm hic mille millia, quia ibi penuria nulla; hic miseria multa, pax rara, cognitio parua. Quid miseri loqui possunt de felicitate superna? Quid mortales capere sciunt de aeternitate vera & vita sempiterna, nisi sub quadam caligine & scripturarum velamine tecta? Gemat ergo anima fidelis mundi circumfusa tenebris, ad gaudia lucis aeternae, ad societatem patriae caelestis, indefinenter oculum mentis sursum eleuans, vbi Christus est in gloria Patris, per aeterna secula regnans. Amen.

F I N I S.